



RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

F R I D E R I C O,

DVCE ET PRINCIPE MECKLENBURGICO
HAEREDITARIO,

PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI;
COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
ET STARGARDIAE DYNASTA,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

QVADRAGESIMALIA
CHRISTO PASSO MORTVOQVE SACRA,

ET IN IIS

S V M M A S P O N S O R I S N O S T R I B E N E F I C I A ,

ADSIDVA GRATAQVE MEMORIA RECOLEND A,

CIVIBVS ACADEMIAE O. O. H.

SERIO COMMENDAT,

ATQVE

D I S C R I M E N S P O N S O R I S A C E X P R O M I S S O R I S

E X I V R E C I V I L I


B R E V I T E R I L L U S T R A T ,

A C A D E M I A E P R O - R E C T O R ,

I A C O B V S H E N R I C V S B A L E K E ,

I V R . D O C T . E T C O D . P R O F . P V B L . O R D I N .

R O S T O C H I I ,
L I T T E R I S A D L E R I A N I S .





Memorabile est sponsoris nomen, quod Redemptori nostro Paulus imponit, *Hebr. VII. 22.* inquiens: *In tantum melioris Testamenti factus est sponsor Iesu.* Melius testamentum, quod memoratur, non est aliud, quam novum Testamentum in sanguine Christi *1 Cor. XI. 25.* Hujus Christus non solum dicitur mediator *Hebr. II. 6. IX. 15.*, sed etiam sponsor, quia id non quidem nobis, attamen pro nobis, sponspondit Deo. In testamento namque aeterno *Hebr. XIII. 20.* sponspondit, se generis humani universi peccata, eorumque poenas suscepturn atque expiaturum esse. Neque verbis tantum sponspondit, verum etiam se ipsum dedit in pretium redemptionis pro omnibus *1 Tim. II. 5.* et praestita obedientia tam activa, quam passiva, promeruit nobis Testamentum melius, multis prae vetere Testamento praerogativis, et melioribus h[yp]romissioni conspicuum. Sponsorem hunc omnes venerantur, quotquot Dominum non abnegant, qui mercatus est illos. Sed num Christus in V. T. nudus fidejussor et sponsor fuerit, et in N. T. demum expromissor factus sit? saeculo abhinc disputare instituit IOANNES COCCEIUS, Theologus Lugdunensis, plurimos nauctus adsecatores, qui ab ipso *Coccejani* denominati sunt. Cum enim statum patrum V. T. ranquam miserum sibi concepisset, quia credentes nullam peccatorum aphelin, seu remissionem, sed paresin, seu praetermissionem tantum adepti sint, nomen sponsoris, quo Christus appellatur, in subsidium vocat, qui satisfactionem quidem promiserit, in N. T. autem demum, nondum in V. T., solverit. Contradixerunt COCCEIO ejusque discipulis ecclesiae Reformatae non Theologi solum, sed et Juris consulti, quos inter posteriores prae caeteris inclaruit VL RICVS HVBERVS in exercitat. juridico-theolog. de foederibus et testament. exercit. V. §. XIX. Incidi pariter in alios, qui eadem quaestionem ventilandam sibi sumserunt, neque eadem tamen ratione item dirimunt. Fusce illam persequitur van der MVELEN in foro conscientiae Part. I. quest. 16., atque sic tandem decidit, ut afferat, Christum in veteri Testamento fidejus-

dejussorem fuisse, in novo expromissorem esse. Verum illius
fris de LEYSER in Meditat. ad ff. specim. D XXIII. in Corollar.
istam decisionem oppugnat, et his utitur verbis: *Omnis fide-
jusser supponit, eum ipsum, pro quo fidejubet, creditori satisfacturum
esse, atque in eventum, si id non fiat, se soluturum promittit.* Verum
Christus etiam in veteri Testamento sicut optime, homines iustitiae di-
vinae satisfacere nulla ratione posse, atque confessim se pro iis satisfa-
cturum pollicitus est. Itaque expromissor fuit, non fidejusser. Ipse
quidem nec priori nec posteriori simpliciter adsentio, quam-
vis LEYSERI adsertioni tanquam veriori, non item ratio-
nibus omnibus subscribam. Priusquam autem, quid de hac
quaestione sentiam, exponere adgredior, necesse erit, ut
paucis de fidejussore et expromissore differam.

Fidejussoris definitio quidem in omnibus compendiis
ac systematibus juris civilis obvia, siveque satis cognita est, sed
cum ratio instituti mei postuleat, ut illam adducam, eligo eam,
quae extat apud B. BOEHMERVM in *Introd. in Ius Dig.*
Tit. de fidejussoribus et mandator. §. 1., ubi fidejussio definitur,
quod sit contractus verbalis, quo quis alienae obligationi ita
accedit, ut, quod alius debet, se soluturum promittat, salvo
manente debito principali. Adpellat igitur BOEHME-
RVS fidejussionem contractum verbalem, qui non consensu
sed verborum solennitate perficitur. Pertinet hoc ad jus
Romanum vetus, quo fidejussiones nudo pacto initae non obli-
garunt *L. 27. C. de Locato*, sed stipulationem ad validitatem
absolute requirebant. Quae necessitas stipulationis primari-
am differentiam ratione modi ineundi inter fidejussionem et
constitutum efficiebat vid. *Tot. Tit. ff. de constituta pecunia.* Jure
noviori Romano jus illud vetus iam antiquatum est *L. 10. C.
de contrah. et committ. stipulat*: Quis itaque est, qui afferere su-
stineat, stipulationes adhuc esse in usu ac necessarias confer.
LAVRENT. ANDR. HAMBERGERI *Comment. de*
non usu stipulationum usque paetorum in Germania et VITRIN-
GA de non usu divisionum Romanarum in materia contractuum.
Sufficit igitur hodie consensus quolibet modo inter absentes
et per subscriptionem hoc nomine factam declaratus
STRYCK de Cautel. Contract. S. II. C. 6. §. 1. HERING de
Fidejussoribus C. II. n. 26. Quid? quod LEYSER VS d. I. Med. II.
afferit

afferit, quod valeat fidejussio, quamvis partes nihil de ea dixerint, sed aliud plane contractus nomen formamque adhucuerint. Extra omnem dubitationis aleam ergo positum est, fidejussionem hodie ad validitatem nil praeter consensum desiderare, sicque nullam intuitu modi *ineundi* inter fidejussionem et constitutum superesse differentiam B. BOEHMER. d. I. Tit. de constituta pecunia §. 3. Ex quibus omnibus patet, fidejussionem hodie haud accurate contractum *verbalem* vocari, sed potius in genere conventionem seu pactum appellari debere. Reliqua, quae in definitione Boehmeriana occurunt, haud amplius modi *ineundi* rationem habent, sed potius ipsam naturam ac indolem fidejussionis exponunt. Quorum collineant verba : *quo quis alienae obligationi ita accedit, ut, quod alias debet, se soluturum promittat.* Vocabulum : *accedit* : presupponit, quod principalis obligatio adsit, siquidem accessorium et principale sunt correlata. Minime autem requiritur, ut alter, pro quo fidejubeo, satisfacere queat, sed hoc tantum necessarium est, ut alter illud debeat, pro quo fidejussio inita est. Corruit igitur fundamentum LEYSERIANVM, quod in omni fidejussione supponit, eum ipsum, pro quo fidejubet, creditori satisfacturum esse : id quod etiam ex natura fidejussionis intuitu obligationis naturalis, non in totum reprobatae, susceptae refutari potest. Quae cum ita sint, haud difficile est intellectu, quid causae subsit, cur LEYSERO haud simpliciter calculum meum adjicere queam ? Ea enim, quibus ipsius sententia superstructa est, haud solido nituntur fundamento. Interea ex aliis rationibus ipsius conclusionem haud prorsus rejiciendam esse, infra parescer. Verba ultima definitionis Boehmeriana : *sakvo manente debito principali* : restant adhuc, ut breviter disquirantur. Coincidunt haec cum iis, quae HEINECCIVS in Elem. Iur. Civil. sec. ordin. Institut. §. 873. de fidejussore praedicat, afferens, illum sine novatione accedere. Novationem vel esse privatoriam vel accessoriā, quis est, qui ignoret ? Verba HEINECCI : *sine novatione* : respiciunt ad privatoriam seu peremptoriam, qua prior obligatio tollitur. De quacunque novatione autem haud intelligi possunt. Nullus enim dubito afferere, quod fidejussio sit species novationis accessoriae, quae in eo consistit, quod prior obliga-

obligatio non tollatur, sed illi alia accedat, novasque qualitates afferat. BOEHMER. *alleg. I. Tit. de Novat. et delegat.* §. 2.

Haec omnia ad fidejussionem applicari possunt. Per illam enim prior obligatio juxta anteriora non tollitur, sed illi non solum omnia commoda conservat, verum etiam nova afferat. Efficitur hinc, verba HEINECCI unice repexisse ad novationem privatoriam. Ergo verba HEINECCI: *fine novatione*: idem inferunt, quod verba BOEHMERI: salvo manente debito principali. Prono inde alveo fluit, illi, cui obligatio deberet, integrum esse, principalem debitorem, quamvis fidejussor sit constitutus, actione persequi. Sed subo- ritur quaestio, an in arbitrio ejus positum sit, utrum prius principalem debitorem an fidejussorem convenire velit? Se- cundum principia sanae rationis hoc negandum et potius sta- tuendum esse, quod creditor antea principalem debitorem excutere debeat, quam fidejussor conveniri queat, docet ac comprobatur HEINECCIVS in *Iure Naturali et Gent.* Libr. I. §. 376. Jure Romano antiquo vero aliam decisionem for- mandam, et quaestionem illam affirmandam esse patet ex L. 2. et 15. f. ac L. 19. C. de fidejuss. et Mandatoribus. Hic rigor, qui repetebatur ex ratione stipulationis, per quam fidejussio apud Romanos iniri debebat, postea temperatus est per bene- ficium excussonis, vi cuius fidejussor ante debitorem conven- tus petit, ut prius excutiatur debitor *Nov. 4. auth. praesente C. de Fidejuss.* id quod omnibus fidejussoribus competit, etiam iis, qui semet ut principales obligarunt *COLER de Proc. Execut.* Lib. I. C. 10. Nr. 351., imo etiamsi juraverit fidejussor, cum juramentum non excludat legitimas exceptions STRUV. *Exercit. 42 th. 43.* Ait hisce repugnare videtur paroemia illa Juris Germanici: *W̄rigen soll man w̄rigen.* HERTIVS in *Paroemias Iur. Germ. Libr. I. Par. XCIV.* illam ita explicat, ut invol- var licentiam convenientiendi fidejussorem ante debitorem prin- cipalem. Omni ex parte et respectu, sive hanc sententiam, sive illam paroemiam admittendam esse, valde dubito. Vtcum- que vero ista se habeant, non negandum est, illam licentiam in multis legibus et statutis veterum Germanorum creditoru- competuisse leg. Dn. STEIN in der Abhandlung des Lübz- schen Rechts Part. III. §. 117. Quid? quod juxta genuinum sensum

sensum juris Lubecensis illam locum habere et beneficium excussionis excludi recte afferit *praelaudatus STEIN*, quamvis in praxi, prout *ipse* quoque contendit, aliud obtineat. Ante annum adhuc ira judicatum est in *Causa Mantzelmannen contra Stollen*. Contra fidejussorem igitur tam jure Naturali et Gentium, quam Civili Romano noviori et hodierno actio haud prius, quam debitor excusus est, nascitur. Applicentur haec ad Christum et statim patebit, illum plus quam fidejussorem fuisse. Genus humanum per lapsum incurrerat poenam infinitam, infinitam nimirum damnationem. Si haec infinita damnatio totum genus humanum manere et adfigere debuisset, quid opus fuerit salvatore? Ergo Christus suscepit satisfactionem illam passivam, quam genus humanum tolerato infinitae damnationis supplicio alias sustinere debuisset. Hinc cum fidejussor non teneatur, si a principali debitore satisfactione obtineri potest: sequitur, quod Christus fidejussor non dicendus sit. Expromissoris ideam ad illum magis applicandam esse ex subsequentibus adparebit.

Expromissorem adpellat HEINECCIVS *d. l.*, qui alterius obligationem novando in se suscipit, adeoque liberato priori reo se ipse obligat. Toto igitur coelo Fidejussor et expromissor differunt. Nam *1.)* in fidejussione prior obligario manet salva, sed in expromissione tollitur, siveque *2.)* indubitatum est, expromissori beneficium excussionis, quod jura fidejussori indulgent, plane non competere posse CARPOV. *P. II. Confit.* 18 definit. *2. Nr. 10.* RITTERSHVS: *ad Nov. P. II. Confit.* 2. *Nr. II.* Supersunt adhuc plures differentiae, sed cum ad scopum meum nil faciant, illas omitto.

Hifce praestructis, facile elucet, Christum expromissorem potius, quam sponsorem generis humani dicendum esse. Cui enim competit definitio, illi competit definitum. Definitionem vero illam ad Christum applicari posse, docent multa loca S. Scripturae. Ipsum enim obligationem generis humani novando, adeoque istius obligatione sublata, in se suscepisse, siveque se ipsum obligasse, liquido testatur ESAIAS *L III. v. 5.* Atqui ille confessus ob praevaricationes nostras: contusus ob iniurias nostras: castigatio pacis nostrae super eo fuit, et vulnere

*vulnere ejus sanitas data est nobis v. 6. Iehovah incurtere fecit in eum
iniquitatem omnium nostrum. v. 7. Hinc ille exactiōnē sustinuit,
idemque adflictus fuit.* Interea fatendum est, non omnia ea,
quae in jure civili de expromissore sancta sunt, huc revocari
posse. Nam in casu expromissionis etiam liberatio inviti
contingit *praelaud.* BOEHMER. Libr. XLV. Tit. II. S. 8.
ibique alleg. L. Longe vero alia est ratio satisfactionis, quam
Christus pro genere humano suscepit et praestitit. Haec
enim invitis et incredulis non adipicatur, sed tantum creden-
tibus solis, qui eam desiderio anhelant et fiducia sibi adpro-
priant. Quamobrem adparet, non omnia, quae vel de fide-
jusso vel de expromissore jura civilia statuant, Christo tri-
buenda esse, veri tamen nominis expromissorem, salvis dif-
ferentiis civilibus, eum recte et rectius, facta comparatione,
quam fidejussorem vocandum esse. Parum haecce, quae ex
juribus civilibus depromta sunt, ab iis deflectunt, quae ad-
versus COCCEIVM Theologi Lutherani moverunt. Ad-
dunt cautelas nonnullas, quas nec ipse, ut superiora com-
probant, respou. .) ex legibus civilibus solis quaestione
hanc definiri haud posse. Decretis Romanorum Imperato-
rum suam constare dignitatem in republica; sed negotia di-
vina, quae ex sola revelatione disci possunt, humanis legibus,
quae ab arbitrio legislatorum pendent, et pro varietate regio-
num et temporum variare possunt, metienda haud esse, et
voces metaphoricas ab usu fori petitas, ultra tertium a Spi-
ritu S. intentum ad divina instituta admodum non debere.
Succensent COCCEJO, quod repudiata theologia schola-
stica, quam dicit, theologiam condidit foederalem nimis ju-
ridicam, et vocabulorum juridicorum potestatem urget.
Quando igitur COCCEJVS excipit, expromissorem non
pro alio, sed pro se solvere, cum per novationem seu dele-
gationem ipsem obligeatur, regerunt: si in expromissione
et novatione, prout in jureconsultorum scholis definiuntur,
quaedam reperiuntur, quae in Christum non quadrant, quid
tum? Nec enim hoc agimus. Sufficit, si, quod praecipuum
est in expromissione, debiti alieni in nos translatio, in Scri-
ptura S. Christo luculentissime tribuitur, ut loquitur D. BVD.
DEVS *Dissert. Theol. Syntagma*, p. 140. 2.) vocabulum graecum
εγγυος

87

P. 552

N

M

A

I

εγγος, quod Paulus usurpat, et latini per sponsorem, Lutherus per Ausrichter convertunt, esse nomen generale, imo expromissorem potius, quam sponsorem indicare. Docte id ostendit SALMASIVS de usuris, aiens: εγγος generale vocabulum est de omnibus, qui vel in judicio vel in rebus creditis pro alio interveniebant. 3. Christum recte vocari sponsorem, minus autem recte sponsorem nudum, expromissori oppositum, Christum potius esse expromissorem, quam sponsorem; neque tamen per omnia expromissori, quem leges civiles habent, aequiparandum. 4.) Christum decreto aeterno destinatum, statim a lapsu manifestatum, sponsorem, adeoque non in N. T. demum constitutum esse: licet enim haud prius impleverit, quae sposponderat, quam in N. T.; ejus tamen sponsio in V. T. iam vim habebat expromissionis, quia, quod physicē nondum praefitum erat, moraliter taquam impletum, propter Filii Dei fidem sanctissimam, in foro poli censetur, omnesque, qui in Messiam venturum credebant, virtute huius sponsionis, tanquam verae expromissionis, a transgressionum culpa et poena absolvebantur, et gratiam non minus divinam, quam aeternam salutem polliceri sibi quam certissime poterant. Caeterum tota quaestio, quatenus ad V. T. restrinxit, ad Theologiam acroamaticam unice spectat. Consentunt omnes, Socinianis apertis et clandestinis exceptis, Christum nostrum, non fidejussorem tantum, sed et expromissorem in N. T. esse. Adgnoscite hinc, CIVES! quantus fit amor Christi in nos, qui sponte pro nobis spospondit Ps. XL, 8. 9., sponte luit, Io. X. 18. Intelligitis, quantum sit ejus beneficium, qui tanquam sponsor pro nobis sanguine effuso, omnem a nobis reatum abstulit, Io. I. 29. Memores simus huius immensi beneficii, non ore tantum consentientes, sed toto corde in hoc lytro recumbentes, ipsoque opere obsequium internum atque externum demonstrantes. Ipse namque pertulit peccata nostra in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae viveremus. I Petr. II. 24.

P. P.

SVB SIGILLO ACADEMICO
DOMIN. QVINQVAG. MDCCLVI.

Rostock, Diss., 1755-58

X.2284.307

ULB Halle
005 047 935

3





RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
F R I D E R I C O,
DVCE ET PRINCIPE MECKLENBURGICO
HAEREDITARIO,
PRINCIPES VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI,
COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
ET STARGARDIAE DYNASTA,
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.
1756, 1. 11

QVADRAGESIMALIA
CHRISTO PASSO MORTVOQVE SACRA,
ET IN IIS
S V M M A S P O N S O R I S
N O S T R I B E N E F I C I A ,
ADSIDVA GRATAQVE MEMORIA RECOLEND A,
CIVIBVS ACADEMIAE O. O. H.
SERIO COMMENDAT,
ATQVE
D I S C R I M E N S P O N S O R I S
AC EXPROMISSORIS
EX IVRE CIVILI
BREVITER ILLUSTRAT,
ACADEMIAE PRO-RECTOR,
I A C O B V S H E N R I C V S B A L E K E ,
IVR. DOCT. ET COD. PROF. PVBL. ORDIN.
ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

RENRIE
UNIVERSITATIS
1756